



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

59 Eliud Achimi Filius. 60 Eleazar Eliudi Filius. Consolatoria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Nova res, & miraculo similis,
 Inter Hebræos concordia, inter Græcos veritas.
 Nimirum, aderat inter Interpretes Jesus,
 Cujus nomine veritas sibi constat;
 Quæ semper eadem, atque una,
 Hoc tuus testatur Ecclesiastici liber,
 Qui unus omnibus consonat, & omnia dicit.
 Ex uno interprete omnes discite,
 O docta capita, sua scriptili papyro,
 Qua Pharii Reges coronantur, laureanda;
 Nec improvide librum edidere,
 Ubi turrita Phatos fidum nautis lumen ostendit.
 Nam per fallaces Rabinorum Sytes,
 Errore vario jactata ingenia,
 Voluminis hujus lampas in rectam ducit;
 Et gentilitati naufragæ præluet.
 Huc proram obverte, & anchoram fige.

ELIUD

ACHIMI FILIUS.
 ELEAZAR ELIUDI FILIUS.
 CONSOLATORIA.

Detentimo urgentur Sæculo sanctissimi Heros
 Eliud & Eleazar.
 Debuit tota nequitia se proferre,
 Integra Instauratori materia
 Ad Homines festinat salus, quia scelera ad metam
 Hostes pariter & carnifices instant.
 Brevi, Martyrum Sæculum est.
 Quorum sanguis Messia præluet, Soli aurora.
 Barbarici ferri magnes Templi aurum fuit,
 Toties raptum, & rapiendum.
 Infelix Metallum: nullibi tutum, ne in Templo quidem
 Merito pallidum, quod ubique infidias paveat.
 Sacra hujus fame captus Seleucus, Heliodorum immittit:
 Qui Angelorum flagello tactus, intactas opes relinquit,
 Ac ni Onias orasset, invenerat latro pro loculis loculum.

Succo-

Succedit Antiocho felicius;
 Qui Onia Pontificatum licitantibus vendit,
 Atque ut sacra dignitas dignitatem amittat,
 Coronam ponit sub coronâ,
 Vilescente Apice quod pretio emitur.
 Tum direptam Urbem mortibus implet.
 Octingentis Civium millibus intra breve triduum caesis,
 Totidem vincētis, aut subhastatis,
 Feralis hasta, quæ turpius vendit, quàm ferit.
 At fœdiora per Philippum & Apollonium præbet exempla,
 Qui præmissa pace bellis pejore,
 Luce facta vacantem Theatro populum contrucidant,
 Et undante sanie, naumachiam faciunt ex palæstra,
 O luctuosum ludicrum, & feriæ inferiis proxima!
 Mala Ædilis Mors est, ex cædibus ludos facit,
 Neque hoc ludicro contentus Antiochus?
 Certanti cum Theatri arena peremprorum numero
 Extrita frontis Senem delegat,
 Cujus ætas scribitur, ut vulpem de illo noscas;
 Nomen siletur, ut totus pereat.
 Antichristum citra calumniam voces,
 Hic aram castissimam probroso incestans Idolo,
 Hebræorum reliquias à patrio ritu deterret,
 Gaude Pietas. Virtutes uti nubes, collisæ fulgurant,
 Videbis nonagenarios, fœminas, infantes,
 Sacro etiam bello devotos Machabæorum Duces;
 Libertatem retinere, non sanguinem,
 Vos verò integerrimi Christi Proavi,
 Eliud, & Eleazar, in Bethlehem secedentes,
 Exilium ferre maluistis, quàm mereri.

ELEAZAR.

PROTOMARTYR. EX LEVI.

CONCIO.

Hic ille est longævus Levita.

*Qui à Senè Antiocheno porcina mandere jussus
 Rogantes amicos ut sicco obsequio mortem fugeret,*

Tali concione increpavit.

Quod